Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26335
Copyright: Admont, Benediktinerstift

141

mulierum. quaedam tamen sunt quae sic ephesinus turbo confudit ut magno moderamine sit agendum ne mala dissensionum quae inde sunt orta permaneant. Quid itaque legatis nostris iniunctum sit ipsorum insinuatione cognosces. eum in atque illis impensurus affectum. ut quaecumque illis mandata sunt. dilectionis tuae studio et sollicitudine sociata. adiuvante deo perveniant ad eum quem optamus effectum.

Leo papa Paschasino episcopo. data VIII. Kalendas iulii.

QUAMVIS Non dubitem fraternitati tuae omnem originem scandalorum quae de incarnatione domini nostri Iesu Christi in orientalibus ecclesiis commota sunt ad plenum esse compertam. tamen ne quid forte sollicitudinem tuam latere potuisset. epistolam nostram quae ad sanctae memoriae Flavianum de hac re plenissimam misimus. quamque universalis ecclesia amplectitur. diligenter et recensendam cognoscendamque direxi. ut intelligens quam plenitudine totius erroris impietas deo adiuvante destructa sit. ipse quoque eundem spiritum pro tuo in domino amore suscipias. Sciasque penitus detestandos qui secundum Eutychetis impietatem atque dementiam in domino unigenito filio dei suscipiente in se reparationem salutis humanae dicere ausi sunt duas non esse naturas. hoc est divinitatis et perfectae humanitatis. et putant quod possint nostram diligentiam fallere. cum aiunt se unam verbi naturam credere incarnatam. cum utique verbi dei in unitate patris et spiritus sancti una natura sit. Suscepta autem in unitate carnis nostrae. illi incorruptibili substantiae nostram quoque unitam credimus esse na